



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. Passiones vincendi alia motiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS VI. PASSIONES.

§. I.

Symbola.

Qualis est hic? quia venti - obediunt ei. Matth. 8. 27. Pugnans quatuor venti, scilicet gaudium, & dolor; spes, & timor, in corde hominum: & contra definitionem sapientium, aut non sibi animam esse felicem, sive quietam; aut illam in meliora compellunt. Sim. Cels. l. 4. c. 9. hic.

Si curus est anima, habet equos, vel bonos, vel malos. Boni equi virtutes sunt animæ; mali equi passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit, & revocat; bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Mali equi: iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. S. Ambros. l. de Isaac & anima c. 8.

Affectus omnis, seu perturbatio, quæ mentem vexat, ac de statu dimovet rationis, jure poterit ebrietas appellari. S. Basilius l. 1. de jejuniis.

Sumus similes coelo aërio secundum partem, hanc inferiorem; in qua generantur tonitrua, & coruscationes, fulgura, & grandines, nives & pluvia. Quid est enim cœlum tonare; nisi potentes contra pauperes verba pomposa proferre? quid fulminibus ferire; nisi factis minores arctare? quid grandinibus percutere; nisi tempestates cordium, & discordias seminare? quid ningere; nisi malis exemplis calida corda frigidare? &c. S. Bonaventura l. 1. de B. V.

§. II.

Passionum victor est rex.

Præsit piscibus &c. Gen. 1. 26. In quo consistit hic principatus? in rationis præstantia. S. Greg. Nyss. or. 1. in ea script. verba: *faciamus hom.*

Myrrha, & gutta à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filia Regum. Pl. 44. 9. Vis domos eburneas spiritualiter acquirere? Magna domus, & magna tabernacula Dei, corda sunt Sanctorum, Ipsosque reges regentes carnem; subjugantes sibi turbas humanarum affectionum; castigantes corpus, & servituti subjicientes, accipe: quia inde delectaverunt eum filia regum. S. August. hic.

Meritò rex diceris, qui te rectè regere noveris. Origenes in lib. judic. hom. 6.

Qui seipsum regit; quod pluris est, quàm alijs imperare; cor ejus in manu Dei est; & quò Deus vult, convertit illud. Non mirum, si convertit in bonum, qui perfectæ bonitatis est. S. Ambros. l. de fuga sæculi c. 6.

Hic demum rex verè est, qui iram, invidiam, ac libidines, coercere, ac frænare, novit; qui, quicquid agit, id ad Deilegem exigit: qui mentem in libertate conservat; qui animum sub imperium voluptatum venire non finit. S. Chrysost. tom. 6. conc. de imperio, & potestate.

Verè liber, & solus princeps, ac rex regum, ille est; qui passionibus immunis est. Idem hom. 59. in Matth. 18.

Is demum rex est, qui iram, qui invidiam, qui voluptatem cohibens, omnia sub Deilege agit mentem liberam servans; neque patiens voluptatum dominationem animo suo imperitare. Id. Libello, in quo confert Monachum cum rege.

Ut piscibus præsis ratione carentibus, perturbationes, & animi motus rationi contrarios supera. *Et præsit bestijs.* Gen. 1. 26. Impera bestijs omnibus, quæ sunt in te. Quid? inquires: egone in me bestias habeo? tu verè bestias habes, & eas quidem innumerabiles. Dic, amabo, parvane est bestia iracundia, quando latrat in corde tuo? nonne ea est quòvis cane crudelior? quid? in calido animo tuo dolus latitans, nonne quòvis ursò fraudulentò sævior est? Quid? nonne fera est hypocrisis vel immanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam, nonne scorpium est? qui præceps ad vindictam, ultionemque, fertur; nonne est vipera gravissima? Quid avarus ipse? nonne lupus est rapacissimus? qui foeminarum amoribus insaniant, nonne furiosi sunt equi? S. Greg. Nyss. or. 1. in illud: faciamus hom.

Majus est corpus proprium subjugare, quàm sibi regna subjicere. S. Bonaventura l. 2. de S. Nicolao Ep.

Nonne tibi videtur animus humanus in se reginam quodammodo personam gerere, cum coeperit affectibus, & passionibus, fortiter præsidere, & cum auctoritate imperare; & illud, quod intrà nos est, regnum cœlorum viriliter vindicare? Richardus à S. Vict. de erud. hom. inter. l. 1. c. 1. Vide tit. affectus.

§. III.

Alia motiva Passiones vincendi.

Omnis Galilæa &c. Jos. 13. 2. Nomen Galilææ, quia fluctus illic ventis volutati ludunt; vel à congestis passim, convolutisque arenarum cumulis. Galilæam cum Josue subjugat; qui carnem domans, passionesque fortiter subjugans, regnorumque revolutiones, procellas, & turbines spernit. Cornelius hic.

Beati pacifici. Matth. 5. 9. Pacifici in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subjicientes rationi, id est, menti, & spiritui; carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In

quo ita sunt ordinata omnia; ut id, quod est præcipuum in homine, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bellijque communia. S. August. l. 1. de ferm. D. in monte c. 8.

Anima mea. Luc. 1. 46. Toletus: rectè inquit B. Virgo *anima mea*: quia ipsa sola habebat animam suam in potestate sua, ejusque erat domina: quia illam possidebat per patientiam, & affectum, passionumque omnium dominium. At nos non possidemus animam nostram, quia possidemur ab ira, superbia &c. apud Cornelium hinc.

Servit omnis, qui auctoritatem puræ non habet conscientiæ. Servit, quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mærore dejectur: servilis enim est omnis passio. S. Ambros. de Jacob & vita beata l. 2. c. 3.

Quemadmodum acerba vulnera nec levem quidem manû contractum ferunt; sic & animus perturbatus difficilis est, & morosus; & ad omnia indignatur; quovisque verbò mordetur, & oenditur. S. Chrysost. hom. de fide Anna.

Nihil æquè affligit, ac si anima obsideatur à perturbationibus. Aliæ enim extrinsecus incidunt; hæ verò intus nascuntur: & hæc est maxima afflictio. Etiam si nos vexet Mundus, nos autem ipsos non vexemus; nihil nobis fuerit molestum. In nostra potestate situm est, ut vel affligamur, vel non affligamur. S. Chrysost. in Pf. 4.

Unusquisque affectus, ac perturbatio, cum prævalet, ac dominatur rationibus sibi subjugatis; animi nostri tyrannus exiit. S. Gregor. Nis. or. in fun. Pulcheriæ.

Animus ipse sibi sarcina est, donec & sperare desinat, & timere. Hildebertus ep. 1.

TITULUS VII. PASTOR BONUS CHRISTUS.

E*Radit quasi pastor gregem suum.* Eccl. 18. 13. Christus pluri videtur facere pastoris nomen, quam regis: hoc aspernatus est; & in morte inclinans caput à titulo regis deflexit; tùm contra seipsum pastorem nominer Joan. 10. 11. Et licet habuerit progenitores nobiles, maxime tamen, se à pastore descendere, indicare voluit. *Liber generationis Jesu Christi Filij David.* Matth. 1. 1. de quo Pl. 77. 70. *& elegit David servum suum: & suscepit eum de gregibus ovium.* If. 40. 11. *sicut pastor gregem suum pascet.* Octavianus in Eccl. 18. 13. *Imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. 7. Ovis onus videtur; sed corona est. Tertull. l. 3. adv. Marcion. c. 9. novus rex novorum ævorum Christus Jesus novæ gloriæ; & potestatem, & sublimitatem suam, humerò extulit. Naxera in Jos. 3. 8. 13.

Ego sum pastor bonus. Joan. 10. 11. Ego enim sum, qui, quod infirmum est, consolido; quod ægròtum, sano; quod contractum, alligò; quod errans reduco; quod perijt, quaero. S. Basil. Seleuc. or. in prædicta verba. Cur non dicit: ego sum Samaritanus? quia ille magna charitatis fuit. *Quia Samaritanus, iter faciens, casu invenit miserum: at bonus pastor multà curà errantem ovem quaesivit.* Sylveira c. 19. in Joan. 10. *Et cognosco meas.* Joan. 10. 14. Theophylactus: mercenarius oves ignorat; raro enim visitat. Pastor bonus oves agnoscit, quia frequenter visitat. If. 7. 14. *vocabitur nomen ejus Emmanuel.* En pastoris nostri proprietates. Quid Emanuel? *nobiscum Deus.* Eicobar l. 9. sect. 2. obs. 4.

Tanquam ovis ad occisionem, ductus est; & sicut agnus &c. Act. 8. 32. Dicitur ovis, cum sit pastor bonus, S. Basilus Seleuc. pastor pro ovibus tanquam ovis jugulum præbet. Præclarum boni pastoris insigne est, ut pro jugulandis ovibus ipse se ad mortem offerat. In nullo discrimine, in nulla actione suos videt, quod ipse in se dissimulet, & in se non assumat. Sylveira hic.

Quis pastor oves proprio pascit cruore? & quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus; sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. S. Chrysost. hom. 60. ad pop. Antioch.

Miscellanea.

Fuit autem Abel pastor ovium. Gen. 4. 2. S. Basilus hom. de M. Mamante: nè contempnas virum, ubi pastorem audis: qui Deo primus placuit Abel; pastor fuit. Moyses, magnus ille Legislator, pecudes pavit in monte Horeb. Ex. 3. 1. 2. & per pasturam ad colloquium Dei pervenit. Jacob Patriarcha pecudes pascendo pro veritate patientiam ostendit. David à pecudum pastura pervenit ad regnum. Sorores quædam sunt, pastura, & regni administratio: quapropter Dominus utraq; complexus, & pastor est, & rex. Pf. 22. 1. *Dominus regit me.* Sept. *Dominus pascit me.* Mendoza in 1. Reg.

• 9. 3.